

do autem Paulus 1. Tim. 2. v. 14. negat, Adamum esse seductum, sensus est, quod Adam *prior per Diabolum* non sit deceptus, sicut Eva; *sed posterior per Evam*, Satanæ blanditiis persuasam & circumventam.

59. Unde constat, peccatum Adami fuisse *μεγαλεικὸν καὶ βλαπτικὸν* facinus pessimum: Indeque Hof. 6. v. 7. Israëlitæ dicuntur pactum Dei transgressi & in Deum peccasse, *כִּי יָדָעוּ* id est, sicut Adam, id est, scienter & voluntarie Deum offendisse: Quamvis vocem *Adam* hic alii malint *appellative* accipere. Quod apocryphus iste liber 4. Esdræ c. 3. v. 21. ita effert: Cor malignum bajulans, primus Adam (intellige, *postquam dereliquit Deum*) transgressus & victus est; sed & omnes, qui de eo nati sunt. Et v. 26. In omnibus fecerunt, sicut fecit Adam, & omnes generationes ejus. Utebantur enim & ipsi corde maligno.

60. Attende denique. 4. Cur Adam fuerit typus Christi? Nempe propterea: *quoniam quemadmodum ille mortis, ex vetito cibo inductæ, causa factus est omnibus, qui ex illo sunt, licet ex prohibito ligno non comederint; sic & Christus suis, quotquot ex ipso sunt, tametsi justitiam non fecerint, justitiæ factus est conciliator, quam per crucem omnibus nobis donavit, ut inquit hic Chrysostr.*

61. Nunc ergo ex hoc Pauli testimonio sic colligo: *Quisquis non peccat ad similitudinem transgressionis Adam, ille non delinquit scienter & praelective*: Siquidem Adami *ἁβασίς* fuit *μεγαλεικὴ καὶ βλαπτικὴ*. Quandoquidem *ὁμοίωμα*, cujus hic Paulus mentionem ingerit, notat similitudinem & analogiam peccandi, ut Adam peccavit, subintellige *consultè*: sicut faciunt adulti, concupiscentiæ suæ illecebris irretiti, eisque obsecuti. Peccatum igitur inconsultum & involuntarium non est transgressioni Adamiticæ *ὁμοίον* & conforme; sed *ἀνόμοιον* & difforme. *At nulli infantes, qua tales, peccant ad similitudinem transgressionis Adam, teste Paulo. E.*

62. IV. Depromo *ab innocentia infantium*. Sanguis enim eorum dicitur *innocens*, Psal. 106. v. 38. Jerem. 19. v. 4 & Joël. 3. v. 19. Quemadmodum etiam pueri Bethlehemitici ab Herode trucidati, Matth. 2. v. 16. dici solent *infantes*: & juxta Cyprian. sermon. de stella & Magis p. 491. *innocua phalanx*. Ubi & ille ait, Herodem, inauditæ crudelitatis monstrum, in neces *innocentium* fuisse debacchatum. Hinc sic argumentor: *Infantes sunt infantes aut respectu absentis peccati originalis, ejusque primorum motuum vitiosorum; aut respectu absentium ab illis peccatorum actualium, presse dictorum. Non prius: quia sunt in peccato*